

alias nempe, sensitivam & vegetativam contineat. Quan-
do autem dicunt animam rationalem continere reliquas
virtute, sciendum est, ne quis hanc pervulgari locutione de-
cipiatur, & ut horum Autorum mens rectius intelligatur,
rem unam continere *virtute* aliam dupliciter cumprimis in-
telligi posse, vel quia potest eam producere, quò pacto De-
us creaturas, Lux calorem *virtute* continet; vel, quia etsi non
possit eam producere, potest tamen exercere operationes &
officia quæ ab illa exercentur. Quando jam à prædictis Au-
torib⁹ dicitur anima rationalis in homine *virtute* continere
animam vegetativam & sensitivam, tunc illud non intelligunt priori
modò, quasi scilicet anima rationalis possit producere ve-
getantem & sentientem animam, quod ipsa facere neuti-
quam potest. Sed istud posteriori modò intellectum volunt,
quod nempe anima rationalis valeat operationes, quæ à sen-
sitivam & vegetativam oriuntur, quatenus sensitive & vegetative
sunt, præstare. Dixi, *quatenus sensitive & vegetative sunt*;
quia *à u. Poiv* largiuntur Aa. citati, quod ipsa nequeat exer-
cere illas, quæ *specificas formas* brutorum, plantarum conse-
quuntur, non enim potest v. g. edere actionem hinnendi,
quæ formam equi consequitur; videas, si lubet, Dd. Conimb⁹
& ea quæ B. Dn. Stierius *part. spec. Physices sect. 3. q. 6. ex iis*
desumpsit. Nos, cum res clara sit de mente horum Autorum,
pergimus ad secundam sententiam.

§. 20. Quæ non unam vel tres, sed *duas* constituit in
quolibet homine animas unam sentientem, alteram intelle-
cticam, quam, teste *Clemente Alexandrino lib. 2. Stromatum*
& *Theodoro lib. 5. de curatione Græcanicarum affectionum re-*
ferentibus Dd. Conimbr. amplexi fuerunt ex priscis Philoso-
phis nonnulli. At hanc etiam sententiam non posse admitti
ex dicendis uberius & affatim dispalescet.

§. 21. Tertia sententia tres in homine animas propu-
gnat, quam tanquam verisimiliorem & tutiorem cum mul-
tis non infimæ caveæ Viris Theologis, Medicis ac Philoso-
phis impræsentiarum tuemur & contra secus sentientes de-
fendi-

C

fendi

iii - hunc

2

3